

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae**

**Goclenius, Rudolph**

**Marpurgi Cattorum, 1601**

CIV. An recte fecerit Cicero, quod a vita politica transierit ad vitam theoreticam : an exclusus a Repu, ad philosophiam recte sese contulerit?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

per quodlibet peccatum violatur: hac sublata omnia erumpunt vitia. Qui labitur in aliquod peccatum contra Deum vel proximum, statim arguitur reus violatae caritatis: quae  $\tau\lambda\theta$  summa & plenitudo legis est.

## CIV.

An rectè fecerit Cicero, quòd à vita politica transfuerit ad vitam Theoreticam: an exclusus à

Repu. ad philosophiam rectè sese contuleris?

Affirmatur, quòd ita plus profuerit otiosus, quàm occupatus.

Cum de rebus omnibus, tum de aliorum factis & consiliis non rarò varia sunt hominum iudicia, ut eadem ab aliis laudentur, ab aliis reprehendantur: laudatur ab his Cicero, quòd à Republica ad scribendi operam se contulit: ab illis contra reprehenditur. Quid mirum? cum multis aetatibus nulli viri magni exstiterint, qui suos annulos non inuenerint. *Propositio.* Tantum vero abest, ut reprehendum eum hoc nomine existinem, ut non minus quàm Herculem illum in Deorum immortalium numero collocandum pronuntiem. *Confirmatio ab effectis per collationem à minore & concessionem.* Nam si æqui velimus esse iudices, agnoscamus oportet, Ciceronem multò plus otiosum, quàm occupatum, publicisq;

Exordium  
à dic. homi.  
num factis

negotiis implicatū & profuisse & præstitisse. Magnum est, fateor, præclarissimos quosque post homines natos Rempub. re & moderari. Atramen quis dubitet infinitis partibus esse majus, ipsam bene beateq; vivendi rationem non solum latinis literis illustrare, verum etiā meliorem & uberiorem reddere. Illud enim populo tantum Romano & Ciceronis coavis profuit: Hoc vero universo hominum generi & posteritati, ad quam divini istius ingenii opera erant perventura. *Hic plenius expono Ciceronis in posteros merita.* Ut porro res magna cum difficultate, sic pari cum laude conjuncta fuit Catilinas, Clodios, aliaq; id genus monstra Reipub. partibus partemve ruinis avertere. Sic difficilius sanè & pulcrius, animum à perturbationum servitute vindicatum in libertatē asserere. Locus erit uspiam tutus, quo te abdas à tyranni cōspectu: At cupiditates in ipsis visceribus & medullis hærentes, quorsum effugies? Tyrannorum crudelitati quid præter corpus & fortunā expositum est? At cupiditates ipsos animos exagitant, & perpetuo cruciatu exedunt. *Clausula.* Plus igitur profecit & præstitit Cicero, cum philosophiam affectuum dominam, & virtutum magistram, apud suos jacentē excitavit, quā cum Italiam cæde & vastatione liberavit. *Refusatio.* Sed quid adversarii? Impletatis ipsura

ipsum accusant, quòd patriam gravissimè affli-  
ctam & laborantem deseruit. Scelus id quidè  
nefarium, si vel animi imbecillitate, vel otii &  
voluptatis frivitione ductus, vel cupiditate fe-  
cit: sed quotusquisq; ignorat, Ciceronè non  
solùm, sed multos alios claros viros à Repub.  
exclusos, ut nullius vel consilio vel auctoritati  
locus esset.

*Conclusio.* Quamobrem quis reprehenden-  
dum Ciceronem, & nò potius summis laudi-  
bus efferendum, ejusq; otium & Scipionis &  
quorumvis aliorum negotio præferendū du-  
cat? quando illo non solùm Romano nomini  
perpetuam laudem, sed universo mortalium  
generi majorem, quàm dici possit, utilitatem  
attulit.

## CV.

*An L. Junius Brutus justè egerit & fortiter (non cru-  
deliter) quòd ne suis quidem filiis proditoribus  
seu Regum restitutionem machinanti-  
bus pepercerit.*

*Affirmatur.*

**C**um amabilis virtutis pulcritudo sit, eiq;  
laus debeat (unde philosopho bonū  
ἐπαινεῖται dicitur) & cōtrà vitii detestabilis  
sit ac vituperio digna deformitas, ut multi ad  
illius studium inflammètur, ab hoc verò mon-  
stro avocentur, apud studiosos sæpe bonorū  
homi-